SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DOMINI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XII.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, ET EPISCOPOS

ROMÆ MDCCCXXIV.

Ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis , Primatibus, Archiepiscopis , et Episcopis.

LEO PAPA XII.

Venerabiles Fratres Salutem , et Apostolicam Benedictionem.

Ubi primum ad Summi Pontificatus apicem evecti fuimus, statim cum S. Leone Magno clamare cæpimus = Domine audivi auditum tuum, et timui: consideravi opera tua, et expavi. Quid enim tam insolitum, tam pavendum, quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti? Et tamen non desperamus, neque deficimus, quia non de nobis, sed de illo præsumimus, qui operatur in nobis = (a) Hæc ille nunquam satis laudandus Pontifex pro animi sui demissione; Nos pro veritate dicimus, et confitemur.

Nobis equidem erat in votis, Vos quam cito alloqui, Venerabiles Fratres, et nostri cordis sensus vobis aperire: vobis, inquam, qui estis Corona Nostra, et gaudium; atque adeo confidimus, concreditos Vobis Greges vestrum quoque gaudium, et coronam esse. Verum partim Apostolici muneris nostri gravissimis curis distenti; partim, imo præcipue, quia diuturna valetudine tristati fuimus, desiderium nostrum, heu nimium dolentes! hactenus implere nequivimus. Sed dives in misericordia Deus, qui petentibus, et cum fiducia orantibus superabundanter dona sua largitur, quique dedit velle, dat nunc et perficere. Nec vero silentium nostrum, quo huc usque uti coacti fuimus, solamine omnino caruit. Qui enim consolatur humiles, consolatus est Nos Deus in religioso Vestræ devotionis affectu, et æmulatione pro Nobis, in qua pietatem Christianæ unitatis apprime agnoscimus, ita ut magis gauderemus, et Deo ageremus gratias. Itaque in dilectionis Nostræ argumentum has Vobis damus Litteras, ut majores stimulos ad vias divinorum mandatorum currendas Vobis adjunga-

(a) Serm. 3. de Natali ipsius habit. in Anniv. Assumpt. Suæ ad Summi Pontificii munus *Edit. Ball.*

mus; et ad prælianduin fortius prælia Domini. Ex quo fiet, ut de profectu Dominici Gregis glorietur cura Pastoris.

Non ignoratis, VV. FF., quod Apostolus Petrus (*b*) Episcopos docuit hisce verbis = Pascite qui in vobis est Gregem Dei providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in Cleris, sed facti forma Gregis ex animo. =

Hinc jam probe percipitis quænam vobis proposita sit agendi ratio, et quibus virtutibus animum vestrum magis magisque excolere, qua uberiori scientia exornare, quosque pietatis, ac dilectionis fructus non facere solum, sed cum Grege participare debeatis. Sic profecto ministerii vestri finem assequemini, sic facti forma Gregis ex animo, et quibus lac, quibus escam præbentes, Gregem ipsum non solum doctrina informabitis, sed etiam opere, et exemplo ad tranquillam in Christo Jesu vitam hic peragendam, et ad æternam Beatitudinem Vobiscum consequendam perducetis; dicente eodem Apostolorum Capite = Et cum apparuerit Princeps Pastorum percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. =

Plura quidem Vobis memorare optaremus, nonnulla tantum delibabimus, uberius subinde acturi de gravioribus, prout tristissimi hujus temporis postulat necessitas.

Quæ de promovendis ad Minores, et præsertim ad Sacros Ordines cum magna cautela, ac nonnisi rebus bene perpensis Nos Apostolus docuit his verbis ad Timotheum (*c*) = Manus cito nemine imposueris =; quæ de Pastoribus ad Curam Animarum in Vestra Diœcesi costituendis, quæque de Clericorum Seminariis Tridentina Synodus (*d*) statuerit, et postea a Prædecessoribus Nostris fuerint dilucidata: ita sunt Vobis perspecta, ut proinde in his diutius immorari opus non sit.

Nostis etiam, VV. FF., quanti habenda, et quam exacte observanda sit personalis in Vestra Dioecesi Residentia, ad quam vi muneris vestri obligati estis; quod præcipue patet ex pluribus Conciliorum decretis, et Apostolicis Constitutionibus, quodque confirmatum fuit a Sacrosancta Tridentina Synodo (*e*) his verbis = Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini prædica-

(*b*) Epist. 1. Cap. 5.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Sess. 23. Cap. 18.
(*e*) Sess. 23. de Refor. Cap. 1.

tione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari, et impleri possunt, qui Gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed Mercenariorum more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet, et hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma Gregis in judicio, et veritate pascant, et regant =. Nos quoque tanti, tamque gravis muneris obligatione perculsi, et zelo gloriam Dei zelantes, eos, qui præceptum hocce exacte implent ex animo commendamus, et Eos, si qui sunt, qui hisce Ecclesiasticis Sanctionibus non parent (esse autem in tanto Pastorum numero, etsi non mirum, dolendum tamen), per viscera misericordiæ Jesu Christi admonemus, hortamur, et obsecramus, ut seriò meditentur, Supremum Judicem ovium suarum sanguinem de manibus eorum exquisiturum, judiciumque durissimum his, qui præsunt, esse facturum.

Quæ quidem formidanda sententia, ut jam plane nostis, non eos solum percellit, qui personaliter residere negligunt, vel inani aliquo prætextu eam effugere student; sed illos quoque, qui Visitationis onus suscipere, atque exequi secundum Canonicas præscriptiones immeritò recusant. Numquam enim Tridentini decreto satisfacient, nisi personaliter ad oves accedere curent, et instar boni Pastoris bonas foveant, errantes vero quærant, et ad Ovile, qua fortiter, qua suaviter clamando, et agendo, tandem aliquando perducant.

Qui verò Episcopi vel Residentiæ, vel Visitationis præceptis non ea, qua decet, sollicitudine parere nituntur, Supremi Pastoris Salvatoris Nostri tremendum non evadent judicium causando, hæc munera se per idoneos Ministros obiisse.

Ipsismet enim, non Ministris, Gregum suorum cura concredita est: Ipsis peculiaris Spiritus Sancti gratia: Ipsis et Charismatum dona fuere promissa. Ex quo fit, ut oves proprii Pastoris multò libentius, quam Vicarii vocem audiant, et a proprii Pastoris quam a Vicarii manu salubria alimenta fiducialius petant ac lætiori animo suscipiant, tamquam a manu Domini, cujus in Episcopis suis venerantur personam; quæ omnia, præter hactenus dicta, ipsa etiam rerum magistra experientia satis superque confirmat.

Hæc Vobis scripsisse, VV. FF., per se sufficeret, Vobis, inquam, qui nec ingrati estis tacendo de donis, nec su-

perbi præsumendo de meritis (*f*). Tales profectò Eos decet esse, qui de virtute in virtutem ire, et progredi ardenti animo cupiunt, Veterumque, ac Recentiorum Sanctorum Antistitum exempla æmulantes, Ecclesiæ hostes se profligasse, corruptosque reformasse mores in Domino gloriantur: Sed menti vestræ perpetuò obversetur aurea S. Leonis Magni Sententia: (*g*) = Nec tam felix capitur in hoc agone victoria, ut non etiam post triumphos surgant rediviva certamina =.

Quanta verò, et quam sæva nostris hisce temporibus surrexere, et fermè quotidie surgunt adversus Catholicam Religionem certamina! Quis ea recolendo, ac meditando lacrymas teneat?

Animum intendite, VV. FF. = Non est parva scintilla, de qua loquitur S. Hieronymus (*h*), non, inquam, parva scintilla, quæ pene dum cernitur non videtur: non modicum fermentum, quod res modica videtur; sed flamma, quæ pene totum orbem populari nititur, et mœnia, urbes, latissimos saltus, regionesque consumere; sed fermentum quod farinæ conspersum totam massam pertentat corrumpere =. In hac ergo materia trepidationis Apostolatus Nostri Servitus omnino deficeret, nisi non dormitaret, neque obdormiret, qui custodit Israel, quique discipulis suis ait „ Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem Sæculi „ et nisi dignaretur non solum custos ovium, sed ipsorum etiam Pastor esse Pastorum (*i*).

At: quorsum hæc? Secta quædam, Vobis certe non ignota, Philosophiæ nomen immeritò sibi usurpans inordinatas omnium propemodum errorum phalanges e cineribus excitavit. Hæc siquidem blandam pietatis et liberalitatis speciem præseferens *Tollerantismum* (sic enim ajunt) seu *Indifferentismum* profitetur, atque extollit non modo in rebus civilibus, de quo non est Nobis Sermo, verum etiam in Religionis negotio, docens, amplam unicuique libertatem a Deo factam esse, ut quæ cuique secta juxta suum privatum judicium, vel opinio arriserit, eam quisque sine salutis periculo amplecti, vel adoptare valeat. Contra quam delirantium hominum impietatem sic nos monet Apostolus Paulus (*l*) = Rogo autem vos, Fratres, ut observetis eos, qui

(*f*) S. Leo Serm. 5. de Nat. ipsius
(*g*) Ibidem.
(*h*) In Epist. ad Galat. Lib. 3. Cap. 5.
(*i*) S. Leo Cit. Serm. 5.
(*l*) Epist. ad Rom. Cap. 16.

dissensiones et offendicula præter doctrinam, quam didicistis, faciunt, et declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino Nostro non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones, et benedictiones seducunt corda Innocentium =.

Equidem, non novus hic error, sed novo et audaciori modo nostris hisce temporibus adversus Catholicæ Fidei firmitatem, et integritatem debacchatur. Refert namque ex Rhodone Eusebius (*m*) insaniam hanc jam prolatam fuisse ab Apelle quodam secundi saeculi Hæretico asserente, = non esse omnino examinandam fidem, sed unumquemque in eo, quod semel imbibisset, perstare oportere. Quippe eos, qui in Crucifixo spem suam collocassent, servandos esse affirmabat, *Apelles*, dummodo in bonis operibus deprehenderentur =. Retorius quoque, teste Augustino, (*n*) omnes Hæreticos recte ambulare, et vera dicere effutiebat. *Quod ita est absurdum*, subdit S. Pater, *ut mihi incredibile videatur*. Porro Indifferentismus iste adeo percrebuisse et grassari dignoscitur, ut non solum sectas omnes, quæ extra Catholicam Ecclesiam sunt, et relevationem tamquam basim, et fundamentum oretenus admittunt, sed illas etiam societates quæ, spreta Divina revelatione, purum *Deismum*, imo purum *Naturalismum* profitentur, illas quoque omnes *recte ambulare* impudenter contendat. Res absurda certe, idque jure ac merito, Indifferentismus Retorii S. Augustino visus est, et tamen quibusdam limitibus continebatur. At quæ Tolerantia ad Deismum etiam, et Naturalismum extenditur, quæ antiquis quoque Hæreticis improbata fuit, probari ne umquam poterit ab homine ratione utente? Attamen (heu tempora! heu mendax philosophia!) ab hujusmodi pseudo-philosophis probatur, defenditur, commendatur.

Sanè non defuerunt plures egregii Scriptores, qui veram philosophiam professi monstrum hoc data opera conterere invictis argumentis aggressi sunt. Sed res est adeò per se evidens, impossibile esse, Deum summe veracem, ipsam immo summam veritatem, optimum, ac sapientissimum Provisorem, Bonorumque Remuneratorem Sectas omnes falsa dogmata, et sæpe inter se pugnantia, ac contradictoria dictantes approbare, easque profitentibus æterna præmia largiri, ut supervacaneum sit de his plura contexe-

(*m*) Lib. 5 Hist. Eccl.
(*n*) De Hæresibus Num. 72.

re. Habemus enim *firmiorem propheticum sermonem*, Vobisque scribentes *Sapientiam loquimur inter perfectos*; *sapientiam verò non hujus sæculi*, *sed Dei sapientiam in mysterio*, qua nempe edocemur, ac Divina Fide tenemus *unum Dominum*, *unam Fidem*, *unum Baptisma*, *nec aliud nomen sub Cœlo datum esse hominibus*, *præter nomen Jesu Christi Nazareni, in quo oporteat nos salvos fieri*, quare et profitemur, *extra Ecclesiam non esse salutem*.

Verum; *Oh altitudo divitiarum sapientiæ*, *et scientiæ Dei! Oh incomprehensibilia judicia ejus!* Deus, qui perdit sapientiam sapientum (*o*), Ecclesiæ suæ inimicos supernaturalem revelationem spernentes tradidisse videtur in reprobum sensum (*p*), et in mysterium illud iniquitatis, quod scriptum erat in fronte procacis Fæminæ, de qua Joannes, (*q*). Enimverò quæ major iniquitas, quam superbos ejusmodi non solum a vera Religione descivisse, sed etiam omnigeno cavillationum genere, verbis, et scriptis plenis omni dolo, velle incautos irretire? Exurgat Deus, et hanc loquendi, scribendi, scriptaque vulgandi effrenem licentiam cohibeat, perdat, et ad nihilum redigat.

Quid plura? Hostium nostrorum iniquitas eo usque progreditur, ut, præter colluviem perniciosorum librorum Religioni per se infestam, in Religionis detrimentum vertere nitantur etiam Sacras Literas ad Religionis ipsius ædificationem divinitus Nobis datas.

Non vos latet, VV. FF., Societatem quamdam dictam vulgò *Biblicam*, per totum orbem audacter vagari, quæ spretis SS. Patrum Traditionibus, et contra notissimum Tridentini Concilii Decretum (*r*), in id collatis viribus, ac modis omnibus intendit, ut in vulgares linguas Nationum omnium Sacra vertantur, vel potius pervertantur Biblia. Ex quo valde pertimescendum est, ne sicut in aliquibus jam notis, ita et in cæteris = interpretatione perversa de Evangelio Christi hominis fiat Evangelium, aut quod pejus est; Diaboli = (*s*).

Ad quem pestem avertendam Prædecessores Nostri plures ediderunt Constitutiones, et extremis diebus Sanctæ Recordationis Pius VII. duo dedit Brevia, alterum Ignatio Archie-

(*o*) 1. Ad Cor. Cap. 1.
(*p*) Ad Rom. 1. Cap. 28.
(*q*) Apocalips. Cap. 1. v. 5.
(*r*) Sess. 4. de Edit. et usu Sacrorum Librorum.
(*s*) S. Hier. in Cap. 1. Epist. ad Galat.

piscopo Gnesnensi, alterum Stanislao Archiepiscopo Mohiloviensi, in quibus multa ex Divinis Literis, et ex Traditione accurate, ac sapienter excerpta inveniuntur, ut ostendatur quantopere Fidei, et moribus vaferrimum hoc inventum noxium sit.

Nos quoque pro Apostolico Nostro munere hortamur Vos, VV. FF., ut Gregem Vestrum a lethiferis hisce pascuis amovere omnimode satagatis. Arguite, obsecrate, instate oportune, importune in omni patientia, et doctrina, ut Fideles Vestri Regulis nostræ Indicis Congregationis adamussim inhærentes sibi persuadeant, = si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri =.

Quam veritatem et experientia commonstrat, et præter cæteros Patres declaravit S. Augustinus his verbis (*t*) = Non enim natæ sunt hæreses, et quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, et in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur =.

En, VV. FF., quo hæc spectat Societas, quæ insuper ut impii voti fiat compos nil intentatum relinquit. Non enim tantummodo versiones suas typis edere, verum etiam per omnes urbes cursitandó in vulgus per se spargere sibi plaudit. Quin imo ut alliciat simplicium animos, qua venditare curat, qua dono dare insidiosa liberalitate gestit.

Quod si quis malorum omnium, quæ huc usque deploravimus, et aliorum quæ brevitatis ergo omisimus, veram originem inquirere velit, intelliget profecto, Ecclesiæ primordiis et nunc, semper eam fuisse, et esse pertinacem contemptum Auctoritatis Ecclesiæ, ejus nempe Ecclesiæ, quæ, docente Sancto Leone Magno, (*u*) = ex ordinatissima Caritate in Petri Sede Petrum suscipit, et in persona Romani Pontificis Petri Successoris illum intelligit, illum honorat, in quo et omnium Pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, et cujus dignitas etiam in indigno Hærede non deficit = (*x*) = In Petro ergo (ut idem S. Doctor oportune monet) omnium fortitudo munitur, et Divinæ Gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apo-

(*t*) Tract. 18. in Joannis Cap. 5.
(*u*) S. Leo Serm. 2. de Nat. Ejusd.
(*x*) S. Leo Serm. 3. Super eodem.

stolis conferatur = Evidens autem est, hunc Ecclesiæ Auctoritatis contemptum opponi Christi præcepto sic Apostolos, et in Eorum personis successores Ecclesiæ Ministros alloquentis (y) = Qui Vos audit Me audit, qui Vos spernit Me spernit =, et Apostoli Pauli monito (z) = Ecclesia est columna et firmamentum veritatis =. Quæ verba respiciens Augustinus (aa) = Si quis (inquit) absque Ecclesia inventus fuerit, alienus erit a numero filiorum, nec habebit Deum Patrem, qui noluerit Ecclesiam habere Matrem. =

Vos igitur, VV. FF., Christi, et Apostoli Pauli verba cum Augustino ob oculos vestros ponite, et frequenter meditamini, ut plebem Vobis commissam doceatis quantopere veneranda sit Ecclesiæ ipsius Auctoritas ab ipso Deo immediate constituta. Nec animo deficiatis =. Undique, fatemur cum eodem S. Augustino (bb), perstrepunt circa Nos aquæ illæ diluvii (nempe multiplicitas variarum doctrinarum). Non sumus in ipso diluvio, sed circumdamur ab ipso diluvio, premunt nos, sed non opprimunt, urgent nos, sed non demergunt. =

Iterum ergo hortamur Vos, ut animo non concidatis. Aderit Vobis, certe in Domino confidimus, Sæcularium Principum potestas, quorum causa, teste non solum ratione, sed etiam experientia, agitur, cum causa agitur Auctoritatis Ecclesiæ; numquam enim fieri potest, ut reddantur quæ sunt Cæsaris Cæsari, nisi reddantur quæ sunt Dei Deo. Aderit quoque, ut cum S. Leone loquamur, servitutis Nostræ erga Vos omnes officium. In angustiis, in dubiis, in omni vestra necessitate ad hanc Sedem Apostolicam confugite. Deus enim in Cathedra unitatis (ut S. Augustinus loquitur (cc) doctrinam posuit veritatis =.

Postremo obsecramus Vos per misericordiam Domini. Juvate Nos votis, et precibus Deo fusis, ut et Spiritus Gratiæ in nobis maneat, et judicia vestra non fluctuent: Præstet in commune Nobis pacis bonum, qui Vobis unanimitatis studium infudit, ut omnibus diebus Vitæ Nostræ in Omnipotentis Dei servitium, et ad vestra parati obsequia cum fiducia possimus Dominum deprecari = Pater Sancte, conserva

(y) S. Luca Cap. 10.
(z) 1. Ad Tim. Cap. 3.
(aa) Lib. 4. de Symb. ad Catech. Cap. 13.
(bb) Enarrat. 2. in Palm. 31.
(cc) Epist. 105. ad Donatist. Alias 166.